

HUNGARICI REGNI CVM TRANSILVANIA.

octenni bello domuit ac vastauit. Refert Volaterranus villis ac vicis regionem abundare stramineis, quas sæpè reficiant, ad subitam inimicorum incurfionem, vel alia leui de causa flagrantes. Hominum robore, pecudum & armentorum fecunditate, foli vbertate, metallorū copia, nulli orbis parti postponenda regio, omnibusque cœli benignitate & clementia, ac loci amœnitate, situsque pulchritudine, suo iure anteferenda. Ager rerum omnium copia ac fertilitate foelix. Gemmas, aurum, argentum, colores, sal, fodientibus abundè largitur. Pabuli, frumenti, leguminum ac fructuum nusquam abundantia maior. Vinum gignit generosissimum. Tractus Danubianus à quinque Ecclesiensi agro Belgradum, seu Taurunum vsque, quā nos Griechischveiffenburg vocamus. Flumina nonnulla auri optima ramenta ferunt. aiunt etiā in ipsis vitibus, aurifero solo satis aurum quādoque legi. Amnes omnes penè piscosissimi sunt. Olea tamen rara aut nulla est, ea dempta, omnibus propemodum naturæ dotibus hoc regnum ornatum videtur. Fluij in hoc tractu nobiliores sunt. Danubius, Sauus, Drauius, Sauaria, Corcora, Arabo, Tybiscus, Marus siue Narisius, Cufus, Alutius, Bacuntius, Valdamus, eos hodie Germani in cōfinio Hungariae, Austriae, Styriae, & Carniolæ nomināt: die Sonau, die Sau, die Ora, die Saan, der Surek, die Lab, die Teiff, die Merisch, der Gheres, der Alt, Bopstha, Walpo, ignobiliores fluij sunt: Granus, Māraha, Pynkha, Zala, Genghes siue Gimfius, ritū potius quā iusti fluij. Lacus & Insulae Hungariae, itē thermæ ac minæræ in Danubij tractus charta à nobis recensita sunt. Montes & sylvæ præcipuè, ultra Danubium ab Auftria & Morauia incipiendo recensentur à Latzio, Tarchzal, Græcis Carpatus quondam à fructu minararum appellatus, propagatur per comitatus, Turocensem, Arnensem, Liptouensem, Cappusensem, Gevvinerensem ac Sariensem, cuius nomina Germanorū locorū Incolæ, alijs atq; alijs nominibus vocāt, der Watter, der Munch, der Wurtzellgart, der Schneberg. Secūdus est Matran, vinetis prope Agriā cōsitus. Tertius omniū amplissimus Erdel, in conuallibus Trāsyluaniensibus latè excurrit, cuius iuga, Trāsyluaniam comprehendentia. Hungari patrio sermone vo-

cant: Makra, Zylack, Mezes, Palata, Dogay, Garbassa, Buzsky, Sarkay, Buzest, Sernest, Fogarab, Barkzack, Kiraluta & Vaskapu. Cis Danubium in comitatu Vesperimienti est Bakon, & ab eo Strigonium, Budamque versus procurrens. Verthes, quam à Clypeis der Schiltzer dicunt Germani. Sequuntur hunc vitiferi montes ad quinque Ecclesias Mechack, & in syrmio Arpaterro. Inde meridiem versus in Sclauoniā æditissima iuga inter Sauum & Drauum attolluntur, quæ Motay & Kyzdarnoch, & Verevvoze nuncupatur. Quo ex loco qui Styriam petit, ripā Draui secutus Gottam sylvam transire cogitur, & ad latus dextram Vashegi montem vitiferum, quem ferreum Germani appellant. Sinistram verò Sakan relinquit: vbi sunt Muræ & Draui confluentes, quondam Gessacus dictus. Narrant indigenæ esse in Pannonia riuum, in quo si sæpius ferrum mergatur, cuprum fiat. Terminatur Pannonia à Septentrione Sarmatis, seu Polonis, Moschisque, ab Occasū Austriam, Bohemiamque finitimas habet, ad Meridiem Sauo flu. finitur & Illyrici parte quæ adriatico Pelago obuersa est. Ad Orientem solem Seruiam, quam Triballi & Moësy, item Bulgari & Rasciani tenuerunt, nunc à quibusdam Sagariam vocatam, eadem etiā V Valachiam parte habet, ac inter ortum ac Septentrionem Transyluaniam, in Occidente initium sumit sub gradibus longitudinis 36. & 30. minutis, quo loco est Presburgum: desinitque in Oriente, sub longit. gradib. 42. & 30. minutorum, sub quo meridiano Alutæ & Danubij flu. confluētēs sunt. A Meridie incipit sub latit. grad. 45. & minut. 50. quæ est latitudo Zagrabienfis comitatus, iuxta Segesticam Insulam, excurritque in Septentrionem vsque ad lat. grad. 49. quæ est latitudo Vnghesis comitatus. Subiacent itaque paulò post initium septimi climatis: desinitque post initium 8. Estque Parallellus eius Australis 15. vbi dies prolixior est horarū 15½. Borealis autem est 17. vbi dies prolixior horarum 16. Eius quantitatem si ad milliaria referas, erit eius longitudo ab occasu in ortum milliariorum Germanicorū 76. vel Italicorum 304. Latitudo autem ab Austro in Boream Germanicorum 47½. Italicorum verò 109.

AUSTRIA DUCATUS.

DE Austria vocis ortu Wolfgangus Lazijs rerum Vien-
nensium Commentariorum libro 3. capite 2. in hunc
modum refert. Austria nomen recenti seculo natum
est, ante annos circiter quadringētos, ab Austri (vt credo)
venti flatu, qui ista in regione frequēsest: vel ob simi-
litudinem Germanicæ appellationis *Osternreiche* (quod verisimilius
mihi videtur) quod nomen Orientali regnorū suorum limiti Fran-
corum reges indiderant, seu & Occidē tali *Westernreiche*. Francorum
verò *Osternreiche*, ad Rhenum sita, post modū Austrasia dicta, id nominis
tandem penē amisit. quod tamen mox nouam sibi sedem reperit in
Pannonijs, quemadmodum idem Lazijs commentariorum Genea-
logiæ Austriacæ libro 1. capite 2. refert. Qui terræ tractus, inquit,
(loquens de Austrasia, ad Rhenum sita in agro Gallico) cum poste-
rius Ludouico Pio, Caroli Magni filio extincto in diuisione,
cum Italia & Imperio Lothario maiori natu celsisset, noua iam
Austria Caroli Magni auspicio in finibus Pannoniæ & Norici ex-
citata, veteri paulatim nomine abolito, Lotharici regni appellationē
fortitus erat. Vulgò *Lothreich*. Nostra autem hæc Austria prius Pan-
nonia superior dicta, cuius nominis ratio ortusque, à nobis in Danu-
bij tractu explicata sunt. Quæ cum iam amplissimū ducatus nomine
comprehendatur, olim à multis varijsque cultoribus fuit habita-
torum primi à Lazio numerantur Hebræi: Hinc Iason, cum socijs
Argonautis. Hos secuti sunt Cymmerij, post hos Agriani, mox Gal-
lo-græci, deinceps Romani has sibi sedes vendicarunt: quibus ex-
pulsis, eas sibi Hunni occupauerunt: ab his Chumanos & Bosnios
descendisse, nostræ ætatis adhuc gentes iuxta Hungaros, coniectura
est. Hinc Sarmatæ & Slauī depopulati sunt magis Pannonias, quàm
quod obtinuisent agros. Anares deinceps incurserunt Pannonias.
Scythica quoque gens: ij in Dacia conclusi creduntur, à quibus Siculi
Transyluaniæ descenderunt. Postmodum Bulgari quoque è Scythia
egressi, ad Istrum confedere, vbi iam Rescianis proximi confident.
deinde Hungari quoque, quæ adhuc hodie illic gens habitat: ij Mega-
rorum soboles creduntur, qui vltra Tanaym habitauerunt. deinde Galli
cum suis minoribus populis Boijs, Sennonibus, Gesatis, Cimbrisque,
& Brēmis, sub ipsam Christi Saluatoris salutiferam natiuitatem penē
totum istum terrarum tractum incolere. Gothi quoque & Getæ pri-
mis temporibus etiam Daci nominati, olim hoc loco habitasse osten-
duntur ab Historicis, quemadmodum & Vandali. Gepidæ etiam
vna cum Gothis, cuius & originis sunt, Pannoniam tenuere.
Heruli & ipsi Germani ex Irlandia seu Hybernia insula longis iti-
neribus profecti, Gothis in Italiam à Theodorico Bernensi abdu-
ctis, Pheletheo siue Fethia rege ductore, Pannoniam superiorem
& præcipuè ripensem, ac Danubio adiacentem (vbi hodie Austria in-
ferior & Mulunensis, Sopnomenis, Posonienis, Castri-ferrei, ac
Lauriensis, Hungariæ regno vesticales comitatus exporriguntur)
inhabitandum acceperunt. Longobardi quoque Germani procul à
Rhenō ad Danubij ripam profecti, pulsas Herulis & Scytis, cōfedere.
Franci & Saxones etsi sub Cimeriorum adhuc Cimbrorumque, &
Sicamberorum appellationibus eum habuissent terræ tractum, pulsati
tamen ex eo in Germaniā à Romano populo, multis postea interci-
dētibus sæculis, rursus in natale solum, Pipino & Carolo Magno, eius
filio, ducibus redierunt. Et quia colluies Barbarorum ibi victis Ro-
manis colebat, concessis agris quibusdam in campestribus & palu-
stribus, Anaribus, Bulgaris, & Ralcianis, nec non Hunnorū reliquijs,
vnde Bosnenses & Ceruli descenderunt, ipsi amenas montium con-
ualles, & loca Metallis vinoque fæcunda, insederunt. Quò fit vt
adhuc hodie, qui Carpathum montem, Daciamque incolunt, & qui
Pannoniam superiorem, Valeriamque attingunt, Teutonicum om-
nes sonent. Austriaci autem nostri Francorum & Saxonum soboles
Pannoniæ superioris partem, vbi sunt hodie Austria, Styriæque con-
finia, sibi concessam armis ab Hungaris vindicarunt, ac summa fide
tutantur. Quados etiam Austriam seu Pannoniam: sed præcipuè Val-
eriam incurfasse testatur Historia. Martungos quoque Churiones,
Cheruarios ac Parmecampos, in hoc tractu locarunt veteres Geogra-
phi. Recensentur præterea & Suanetes, qui circa eum locum confide-

runt, vbi hodie Passaw vrbs videtur, videturque ab ipsis nomenclā-
turam retinuisse ager quem Scwindaw vocant. Ambidrabi autem
Drani fluij accolæ fuere. Senaces iuxta Entium fluuium habitauerunt:
ab his vocis suæ originem videtur ducere Schwatz oppidum. Norici,
Thaurisci, Sciri in Styria ac Carinthia habitasse creduntur. Ossi
quoque in eadem Prouincia fuere, à quibus denominatus creditur
Lacus Viseæ, & Eschelberg. Marcomanni autem iuxta Marcham
flu. Lutia ad Leytam flu. Sueui ad Swecham flu. Camani ad Chamañ
flu. Abodriti ad Drey senam flu. Boi ad Puelacham & Puestangam
flu. quo loco deserta Boiorum à Strabone ponuntur. Rugi autem ad
Rustpachum, Antes ad Antzelpachum, Redarij ad Retzam fluuios,
Vuloyni seu Vulzi ad Bulckam habitauerunt: singuli suis quos acco-
lebant fluuijs, sua reliquentes nomina. Diducitur autem Austria in
superiorem & inferiorem: quarum hæc citra, illa cis Danubium sita
est. Diuidunt alij in Austriā supra Oenum seu Entium, & Austriam
infra Entium flu. Continet præterea Styriæ ducatū inter Danubium
Muer & Mierz fluuios, protensum, cuius incolæ partim Germanico,
partim Sclauonico vtuntur Idiomate, strumisque maximè deformes
sunt. Item ducatum Carinthiæ inter Muer & Dranum flu. situm.
Item Carniam in Meridiem magis protensam. Comitatum præterea
Tiroloensem inter Occidentē & Meridiem, ac Siliensem, ad Dranum
fluuium. Vsque adeò amplius hic est Archiducatus. Regionis caput est
Vienna Vindebonna olim, postmodum Fauiana, ac tandem Fabiana,
quod demum in Viennam detortum vocabulum putatur, quamuis à
Vienna amne seu torrente denominatam urbem credunt. Hanc non-
nulli Iulio bonam à Ptolomæo vocatam contendunt. alij flexum mti-
nitissimum hoc Christianorum propugnaculum contra Turcas,
vallis, aggeribus, fossisque munitum, ædificijs ita instructum, vt quot
domos videas, tot aulas Principumque palatia cernere videaris: ac
præter nobilissimum Gymnasium, quò à Friderico 2. Imperatore or-
nata est anno 1237. mercatu etiam frequens ac celebris est, ac agrò
etiam gaudet fœcundissimo. & vt dicam simul multa: hæc vel opu-
lentissimis Germaniæ Italiæque ciuitatibus par est, ac quamplurimas
etiam vincit. Habet & Patauium, Lyntzium, Presburgum nobilissi-
mas vrbes, ac complurimas his vix inferiores. Est & pagus Austria,
cui S. Stephano nomē est, duobus circiter miliaribus distas à Vienna,
qui proditur habere sepulchrū Theutanis, vnde nomen seruasse gens
dicitur. Styriorum oppidum Greetz ad Muer flu. situm est. Carin-
thiæ, Dragburgum & Lauamunda ad Dranum flu. Aère fruuntur
læto ac amœno, salubrique, ob Euri viciniam, quo perflatur. Non de-
sunt tamen qui Styriorum strumas aëris quo viuunt, vicio imputent,
ego aquæ fontibusque eorum hoc potius dederim. Regio est qua Au-
strum spectat mōtosior, qua ortum palustris, medio tractu vtrunque
plana, ac leuiter deuexa. fluminibus pluribus irrigua, ob id ue fœcun-
dior: amœnissima, vini frumenti que feracissima, lignorum etiam co-
piam habet: amnes pisculēti sunt. Vini abundè satis præbet Bohemis,
Morauis, Silesijs, vicinisque Bauaris. Zinziber producit iuxta Ham-
burgum ad radicem Catij montis. Crocum etiam gignit perfectissi-
mum. Styriæ montana vberima frugum omnis generis sunt, nec
magnopere cultura egent. Ac Marchianus quoque campus patens,
vulgò *Marckfeldt*, Croco, Vino, Frumento, & frugibus mirificè ferti-
lis. Cis Danubium è regione Vianæ, Noricæ, seu Viennæ, Austriæ,
Carinthia, montibus quoque attumulatur, vallibusque vicissim depri-
mitur, quæ pabuli frumenti que copiam exhibent. Caruorum etiam
in Danubij tractus descriptione meminimus. Tynolensis autem co-
mitatus vel cum amplissimo regno certat de redditu annuorū, quos
ex montibus ære, auro, argentoque scatentibus haurit, abundantia.
Sal coquunt Styrij, quod in alias prouincias exportatur: ijdemque
argenti, ac ferri mineras habent ditissimas. Austriæ verò ciuitas Ar-
chiëpiscopalis Gran thermas habet calidas, saluberrimas. Syluis hinc
inde conspersa est regio, quæ Hercyniæ quoque portiones sunt, ac
Lunæ syluæ dicuntur hodie *der Freyfleter vnd Kunigvriser vvaldt*,
in regione supra Anasum amne, & Manhartzperg sylua, in regione
infra Anasum, cuius nomen à Manimis seu Omanis, & Hercynia seu
Hartzperg compositum videtur, ad Cæcium montem est Viennæ sis

AVSTRIÆ DVCA
TVS SEVPAN'ONIAE
SVPERIORIS CHORO GRA
PHIA GERMANA SVMMA
FIDE AC INDVSTRIA ELABO
RATA a Wolfgango Lazio



AVSTRIA DVCATVS.

sylua, vulgò *Wiener waldt*. Montibus multis asperatur Regio, eorum præcipui sunt ac nobiliores Cæcius mons, vulgò *Kalenberg*, à Danubio ad Dranum fluuium extenditur, eius portiones sunt Schneberg, Semering, Keniperg, Hertperg, Deubsperg, Hengstperg, Plaitz, Conagnus mons, hodie *der Hamburgerberg*, à Danubio ad Arabonè trahitur. Gessacus mons, nunc *der Schoeckel* in Styrijs extat, supra Gratium oppidū. Fluminibus permultis regio perfunditur. Horum Danubius primum est, regionem secans mediam, de quo suo loco dictum est: reliqua sunt Arthosinus, Oenus seu Anasus, Dranus, Trau-
mis, Erlaphus, Traisinus, Ypsius, Melicus, Marchia, Teius, is Mor-
niam ab Austria dirimit. Xampus piscosissimus amnis: Leytha Pan-
noniam superiorem ab inferiori disungit, cancosque gratissimi
saporis alit. Swechadus, Muer, Muertz, Bungka, Arabo, nunc Rab &
complura alia ignobiliora his flumina. Lacus complures habet, cuius-
modi sunt, Sancti Wolfgangi, Vsseæ, Vrfæ, Fisselsee, Eyndsydler-see.
Terminatur autem Austria ab Oriente Pannonia inferiore, seu Hun-

garia, à Septentrione Morauis & Bohemis, ab Occidente Norico seu
Bauaria, à meridie Montanis Styriæ & Illyri. Eius initium est in Oc-
cidente sub gradibus longitudinis 32. & minut. 30. qui est meridia-
nus vrbs Lintz, Aredatæ Ptolomæo: definitque in Oriente sub gradi-
bus longitud. 35. & minu. 54. qui meridianus transit per Pofonium,
vulgò Presburgum. Ab Austro autem initium facit sub gradib. lati-
tudinis 46. vbi Dragburgum Carinthiæ situm est, definitque in Sep-
tentrione sub gradib. latitud. 49. quo loco Dronsdorfium conspici-
tur. Est itaque post mediū 7. climatis, quod est per medium pontum
Euxinium, vsque post initium octau, quod est per Borysthenis ostia.


Vnde Parallellus eius Australis est 15. diesque prolixior horarum
15½. Boreus autem est 17. ibidemque; di- s prolixior horarum

16. Vnde deprehenditur longitudo regionis milliariorum
Germanicorum 42. vel Italicorum 204.

latitudo verò milliariorum Germani-

corum 45. Italicorum

verò 180.



ILLYRICI SEV SCLAVONIAE, TABVLA.

Illyrici ab Illyrio, Cadmi & Hermiones filio cognominati traduntur, quorum sepulchrum, vti Volaterranus refert, prope Cerauniā cernitur. hos fabulantur ē Thebio huc profectos, in serpentes mutatos fuisse, quod sic interpretantur. Græcos & politicos homines mores induisse barbaros, victumq; ferinum. Appianus hęc originem à Polyphemo deducit, cui cū Galathea tres fuisse filios ait: Celtum, Galatum, & Illyricum, qui totidem quoque populos constituerint. Hoc autē nomen generalius hodie sumitur quàm olim, confususque. Duæ enim olim insignes regiones, totum eum terræ tractum qui inter Sauū flu. & sinum Hadriaticum protenditur, habebant: Illyris seu Illyricum, & Dalmatia. Hi autem postmodum in vniuersum Sclauis, Latinis, Sclauenis græcis dicti sunt, ij gens Scythica sunt, ac tempore Iustiniani Imperatoris in Illyricum irruere, ac aliquandiu inter Illyricos consistere tantum, deinceps etiam Gepidis militantes, paulatim supra capita omnium euertere, à quibus hodie hic tractus integer Sclauonia dicitur, in plurimas distinctas prouincias. Gentis sermo semi-Scythicus est, alicubi germanicus, alibi verò Italicus corruptus præualet. Scythicus tamen latissimè omnium ibidem patet. Dominantur nunc, partim à Pannoniorum regibus, partim à Venetis, partim etiā à Turca. Sordidum Barbarumque hominum genus dicuntur. Pars horum vna, cū Illyricum omnes non caperet, Boiohemiam occupauit, & regionem proximam huic Marauaniani. Altera Sclauinorum pars lōgius profecta, in deserta Vandalorum regione circa Vistulam amnem, & Sarmatiæ confinia sedes suas fixit, & eum tractum à planis campis nouo Polonia vocabulo donauit, vt alibi quoque monuimus. Horum Sclauinorum natio sunt Venedi, qui ipsi se Velatabos & Vvindas vocāt, nos germani eos Vvilcos & Vvindos, & terrā eorum Vvindisch-marck vel Vvindisch-landt vocamus, ex quibus multi etiamnum in Saxonum & Toringorum agris hærent. Pomeranos quoque nonnulli Venedos interpretantur, & Venedicum sinum mare Pomeranicum, cum Vandalorum prius is tractus esset, etiam derelictum Venedi occuparunt. Vnde iam emicat Venedos Vandalosque diuersos populos fuisse. Vādali enim sermone, moribus, cultuque Germani. Venedi lingua, ortu, morumque fœditate Scythæ fuere. Illyrici veterem diuisionem Beatus Rhenanus ponit, præter Pannoniam secundam, Sauiam Pannoniam. Pannoniam primam Noricum Mediterraneum, ac Noricum Ripense & Dalmatiæ. Et paulò post ait: Illyrici prouincię octo, Thessalia, Epirus vetus, Epirus noua, Dacia ripensis, Mœsia prima, Præualitana, Dardania, ac Macedonia salutaris. Hodie nulla ferè harum prouinciarum Illyrico annumeratur. Distinguitur autem nunc in Carinthiam, Coruatiam, Croatiam, seu Valeriā, Sclauoniam vulgò *Vvindisch-marck*, Bosniam, Istriam, Seruiam, Rasciam, Dalmatiā. Populos hoc loco enumerat Volaterranus Iapydes, ij etiam Albij olim, in eorum

loca Karstenses & Istrij immigrarunt, Styriam tamen interpretatur Volaterranus. Pius Pontifex Valeriam putauit. Liburni, hęc iam Bosnia superior locatur. Illyrici, eos iam Carbauatios, Coruatios, Croatiosque vocant. Dalmatiarum locum iam superior Seruia occupat. Cæterorum præter nomina, vix vllæ reliquæ supersunt. Vt sunt Dryopes, Cerauni, Iatæ, Chelidonij. Hyelles confusi omnes. Præter hos ab alijs enumerantur, Coletiani, in quorū loca Venedi, Vvindi, & Cylly irrepserunt. Oderiates, Andiantes, & Scordisci inter Sauum & Drauum flu. habitauerunt: eum quoque agrum Vvilci & Vvindi, & partim Rasciani tenent. Didautij Bebijque in Valeria habitauerunt in Liburniæ confinibus, eam Ramain hodie dicunt. De Carnis Carinthijsque alibi monuimus, hoc loco itaque reliquos prosequemur. Istria peninsula propemodū est, ac in circuitu habet vltra ducenta passuum millia. Vrbes in ea cū multæ, tum nobilissimæ. Iustinopolis tamen primaria, quam Canodistria incolæ vocant, in Adriatico sinu sita supra scopulum, ac ponte iungitur continenti. Reliquæ sunt, Parentium, Insola, Mugla, Enconia, Pola, Mōtora, Albona, Aquileia, Tergestum. Verum hoc loco monendum, Istrianos & Istrios non eosdem haberi populos, cū ad Adriaticum mare iuxta Flanaticū sinum hi, iuxta Istri fluij ostia ad Euxinum Pontum illi siti sint. Croatia quæ Liburnia olim & Valeria dicta fuit, Istriæ ad sinum Flanaticum adhæret versus Ortum, inter Cusgam & Sauum flumina, & superiorem Mœsiam sita, cuius metropolis nunc Bigihon esse dicitur: aliquando Fumium erat. Vrbes præterea plurimas habet, vtpote Zeng, Vvackat, Turnavv, Modrisch. Hic tractus præcipuè Sclauonia dicitur, à Sclauis Scythiæ populis barbaris, qui pyriticam hęc exercuere multis annis: eorum ciuitas est Scardica seu Scardona, Treuischum, Spalaton, quo loco Serunni habitasse dicuntur, qua & Dalmatia vicina est, quam Seruiam, hodie dicunt Syrfen. Liburniæ autem Orientalem plagam Bosniani hodie dicunt, à Bessis inferioris Mœsiæ populis: qui inde à Bulgaris eiekti in hanc superiorem Mœsiam migrarūt, ac mutata e in o literam, pro Bessis Bossy, & Bosni dicuntur. Horū vrbs est Iaitza, ad Plenæ & Vvorvatzi flu. confluentes in monte sita, quem ijdem flu. circundātes Insulam efficiunt. Regionis huius caput dicitur esse Vvarbosayne. hęc est Schvvoink nobilis ciuitas. Illyrici seu Sclauonici populi ferè omnes ligneis habitant plerunque ædificijs, culmo contectis præter paucas littorales vrbes, in quibus humanius degūt. Tellurem colunt optimam. Aère fruūtur loca nonnulla puro ac salubri, quædam minus grato, quæ paludes ac exhalationes fœdæ eum inficiunt. Vniuersus autem oræ Illyricæ cursus maritimos portus habet optimos: ita enim & ex perpetuo ipsius littore, & ex ipsis propinquis insulis euenit. E contra verò Italicum littus Illyrico obiectum se habet, quod importuosum prorsus est. Aprica regio, similiter frugifera, bonisque feracissima fructibus, oliuetis vinetisque speciosa, nisi sicubi rara & aspera om-